



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 71. Seraphini Olivarii Razalii Cardinalis mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. runt nonnulli, quod Paulus V. Hora-  
 A. C. 1609. tium ob civium querelas Theata evoca-  
 rit, ac de eo non sine animi commotio-  
 ne dixerit: *penitet me fecisse hominem.*

## §. LXXI.

*Seraphini Olivarii Razalii Cardinalis mors.*

*Ciacon. in  
 vita Clem.  
 VIII.*

*Jan. Nic.  
 Eryth. Pi-  
 nac. I. p. 145.*

Die decima Martii ibidem quoque vi-  
 vere desiit Seraphinus Olivarius  
 Razalius natione Gallus patria Lugdu-  
 nensis, qui post Patris sui obitum na-  
 tus, Turnoni humanioribus literis ac  
 præcipue Græco idiomate egregie im-  
 buebatur: dein Bononiam missus in  
 utriusque jurisprudentiæ studio tantos  
 fecerat progressus, ut decimo nono æ-  
 tatis suæ anno nondum expleto jam  
 publico juris civilis tradendi munere  
 functus, tantam ingenii, atque erudi-  
 tionis laudem consecutus sit, ut Sera-  
 phini vox, non hominis certi nomen,  
 sed jurisprudentiæ vocabulum esse vi-  
 deretur. Exacto biennio Romam pro-  
 perabat, quo sua eum virtus ad aulæ  
 decus atque Ecclesiæ emolumentum e-  
 vocabat; ibi enim Pii IV. Pontificis Ma-  
 ximi delectu, & ex Caroli IX. Franciæ  
 Regis commendatione Rotæ Romanæ  
 Auditor renunciatus annis omnino qua-  
 draginta forensibus causis præfuit,  
 cun-

cunctis ad ipsum velut ad vivum juris-  
 prudentiæ oraculum recurrentibus: un-  
 de contigit, ut ipsius domus illustrium  
 Patronorum, Cauffidicorum, omnium-  
 que eruditorum Athenæum esse crede-  
 retur. Ter eum Clemens VIII. ad Ro-  
 manæ Purpuræ honorem attrahere me-  
 ditabatur, toties tamen præpeditus a-  
 liorum invidia, quam sibi Seraphinus  
 heroica in dicendis sententiis libertate  
 incorruptus Judex accerserat, tandem  
 vero ab eodem Pontifice Bajocensem  
 Episcopatum, quem tamen mox alteri  
 cessit, obtinuit, postea ad Datarix of-  
 ficiū evocatus, necnon Rotæ Roma-  
 næ Decanus & Alexandrinus Patriar-  
 cha electus, Cardinalium Collegio die  
 nona Junii anno Christi millesimo sex-  
 centesimo quarto adscribitur, cooptato  
 titulo Sancti Salvatoris in Lauro, qua  
 tamen dignitate nonnisi quinque annis  
 potitus, septuagesimo sexto ætatis suæ  
 anno obiit, sepultus in monte Pincio  
 in Templo Sanctissimæ Triadis. Scripsit  
 doctissimus hic Vir decisiones Rotæ  
 mille quingentas in utroque jure, non-  
 nisi post ejus obitum editas, præter u-  
 num tomum *Responsionum decisivarum* &  
 alia nonnulla nondum typis mandata.

Sæc. XVII.  
 A. C. 1609.